



The Holy See

BENEDICTVS XVI

EPISTULA DATA

FERNANDO S.R.E. CARDINALI FILONI

NOMINATO MISSO EXTRAORDINARIO AD CELEBRATIONES

AUREI IUBILAEI BASILICAE MINORIS

OUR LADY OF GOOD HEALTH

NECNON ARGENTEI IUBILAEI CONFERENTIAE

CATHOLICORUM EPISCOPORUM INDIAE

Venerabili Fratri Nostro

Fernando S.R.E. Cardinali Filoni

Praefecto Congregationis pro Gentium Evangelizatione

Constat Christifideles in India degentes Beatam Mariam Virginem titulo "Our Lady of Good Health" invocatam peculiari pietate colere ac sincero quidem corde venerari. Quotiescumque enim de salute agitur vel recipienda vel fruenda, ad hanc nobilissimam Dominam revertuntur, quae caelestium gratiarum faulrix perennis atque omnium virtutum exemplar egregium exstat. Ideo non sine causa aucta est Indorum fiducia in Matris Dei intercessionem quandocumque sanctuarium in urbe vulgo *Vailankani* appellata frequentent.

Quocirca Nos feliciter novimus proximo mense Februario fore ut et quinquagesimus anniversarius dies ex quo templum in urbe *Vailankani* ad Basilicae Minoris dignitatem eveclum est commemoretur, et vicesimus quintus anniversarius dies ex quo Conferentia Catholicorum Episcoporum Indiae fundata est celebretur. Utraque de causa, libenti animo rogationem accipiendam esse censuimus Venerabilis Fratris Nostri Telesphori S.R.E. Card. Toppo, Archiepiscopi Metropolitanae Ranchiensis et Praesidis Conferentiae Catholicorum Episcoporum Indiae, qui humanissime petivit ut Nos quendam insignem Praelaturn designaremus qui verba spiritalis cohortationis omnibus adstantibus his iucundis celebrationibus pronuntiaret. Iustae ergo

postulationi Nos adnuere volentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, decurrimus quippe qui Nobis congrua cura adsis in negotiis de Ecclesia in India gerendis. Te igitur hisce Litteris Missum extraordinarium nostrum nominamus ad celebrationes aurei iubilaei Basilicae Minoris *Our Lady of Good Health* necnon argentei iubilaei Conferentiae Catholicorum Episcoporum Indiae, quae inter dies IX et XI proximi mensis Februarii sollemni modo in urbe *Vailankani* agentur.

Hoc in anno fidei dicato, omnes duobus his eventibus participes adhortaberis ut dona Spiritus Sancti fervida oratione expetant, quibus corda omnium hominum magis ad Deum convertuntur, mentis oculi aperiuntur atque divinae revelationis profundior evadat intelligentia. Archiepiscopum Metropolitam Ranchiensem ceterosque adstantes sacros Indianos Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque et christifideles laicos Nostro salutabis nomine Nostramque iis ostendes benevolentiam.

Instanti denique prece Omnipotentem Deum exoramus, ut diligenter officium tibi concreditum expleas, ita ut omnes anniversaria participantes uberibus gratiis a Domino ditentur. Caelestium verum donorum conciliatrix et nuntia esto Nostra Benedictio Apostolica, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libenter in Domino impertimus, quam item ad omnes congregatos volumus pertinere.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die X mensis Ianuarii, anno MMXIII, Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP. XVI

© Copyright 2013 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana